



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

28. Regula Cancellariæ de Infirmis sua beneficia resignantibus proponitur
primum, deinde explicatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

quibus Ecclesijs sibi subiectis recipientes ab eis annuas pensiones seu alia Beneficia, ab eorum cooperatione desistant, renunciantur litterarum. At Pontifex hoc ibi vt simoniacum non damnat, quod & ipsa ratio persuadere videtur, quia tales littere nequaquam dant ius in beneficio, sed ius ad beneficium. Vnde fit, vt quis absque auctoritate superioris, tuta conscientia litteris simpliciter renunciet Pontificijs: vt colligitur ex cap. Veniens, & capitulo sane. de renunciat. cum tamen beneficium citra superioris assensum nequeat simpliciter resignare, ex cap. Quod in dubijs. de renunciat. Sed hanc Glossam exteri communiter rejiciunt: & merito vt docet Siluest. renunciatio, quasi i. versio. 3. nam quum per litteras Pontificias minime ius in beneficio acquiritur: bene tamen ius ad beneficium, quod est spirituale ius, vel annexum spirituali, sicut Clericus praesentatus à patrono, tamen si ius in beneficio non acquiritur, acquirit tamen ius, vt instituat in beneficio: ergo hoc argumentum concludit absque simonia non posse renunciatum ius per litteras acquisitum ob commodum aliquod pecuniam instabile, quia ex eiusmodi litteris acquisit ius ad petendum beneficium: si vero officio superioris, vel amici boni viti renunciet litteris pure, & deinde ei detur aliquod temporale, simonia non est, vt loco citato Siluest. ait. Quid si renunciet litteris eo pacto, vt sibi aliquod beneficium Ecclesiasticum conferatur? Respondeo, cum Siluestro, loco citato, ubi citat Innocent. & Hostiensium in cap. ad audientiam de rescript. non esse Simoniam, quia est quaedam permutatio rei spiritualis cum re spirituali: id tamen locum habet, si fiat auctoritate superioris. Nam etsi Canones & Lira prohibent generatim, ne renunciatio beneficij cum aliqua conditione fiat; non vetant tamen, ne his quas dixi, litteris renunciemus, vt beneficium, vel pensionem Ecclesiasticam, in locum beneficij suppositam habeamus.

Decimo quaeritur, An renunciatio, quae temporale commodum aliquod, vel spirituale continet solummodo promissum, non datum, redoleat Simoniam? Communis est opinio eam continere Simoniam. Sed quid faciet is, qui est beneficium consecutus, & promissum nondum impleuit? Tunc is non tenebitur quidem promisso, sic enim Simoniam haud dubie re ipsa complectitur beneficium tamen obtentum dimittere cogitur, vt Glossa, Abbas, Felinus annotant, in c. Tua nos. de Simonia. Ratio est, non quia per Simoniam acquisiuit: cum ea solum sit conuenientialis; non est ipso iure beneficij priuatus, sed priuandus per sententiam iudicis: sed quia beneficium est illi datum ob causam, & illa causa sequuta non est.

Pari ratione, qui temporale commodum reciperet ex promissione Simoniacae, & nondum dato spirituali, quod se datum promiserat: restituere debet quod accepit: alioqui legitima contentione caret, ibidem teste Panormitano. Dubium est etiam, contrahatne Simoniae crimen beneficium resignans, vt sit gratus, & obsequatur alteri, ad eius quae accepit obsequia remuneranda atque compensanda? Proculdubio, si id fuerit in pactum deductum, Simoniam contrahit, quia est conditione infecta & vitiosa talis resignatio.

Vndecimo quaeritur, An si resignatarius, quo die consensum praestet, resignanti promittat se illud beneficium dimissurum, cui ipse voluerit, resignatio Simoniae labe vitietur? Respondeo, vitari Simoniae crimine, saltem in Iudicio, tanquam talis condemnabitur: quia pactum in ipsa resignatione, vel statim paulo post eam adiectum, Simoniam inducit.

Duodecimo quaeritur, Quid sit dicendum: si Titius beneficium obtinuerit ex resignatione Caij cum reservatione pensionis annuae ipsi Caij soluendae, & ex intervallo temporis Titius sua omnia bona obligauerit, vel fideiussores dederit pro solutione pensionis: hicine interueniet Simonia? Minime: quia talis resignatio nullam conditionem habuit annexam: ea enim obligatio post aliquod temporis intervallum accessit.

Decimotercio quaeritur, An Simoniacum sit factum

hoc: Duo litigabant, vnus promisit alteri se resignaturum gratia & fauore ipsius, si beneficium equalium reddituum consequeretur? In Rota iudicatum esse dicitur, Simoniam ab ea resignatione minime abesse, ob conditionem in illa contentam.

Decimoquarto quaeritur, An sit Simoniacum pactum, cum quis promittit resignanti tertium partem fructuum beneficij resignati conferendam in dotem forori, & alimentis nepotum? Respondeo, cum distinctione: Aut promissio est de dandis dote & alimentis forori & nepotibus eius, qui beneficium resignat, & pactum est Simoniacum: Aut promissio est de dandis forori & nepotibus ipsius resignatarij, & nullum est Simoniae vitium, quia id dare resignatarius debet.

Vltimo quaeritur, An resignatio beneficij sit Simoniacae, si resignans, vel resignatarius non compleuerit id, quod est in pactum deductum? Aut Rebuffus consil. 63. n. 13. minime, quia nihil est factum, & potius pactum est relictum. Nihilominus à principio fuit Simonia conuenientialis.

CAP. XXVIII.

Regula Cancellariae de Infirmis sua beneficii resignantibus, proponitur primum, deinde explicatur.

Extat Regula Cancellariae de ijs, qui in aegritudine coactiui beneficia dimittunt, hunc in modum habens à tempore Sixti V.

Item voluit (Sanctissimus Dominus noster Papa) quod si quis in infirmitate constitutus resignauerit aliquod beneficium, siue simpliciter, siue causa permutationis, siue abas dimiserit, aut illius Commanda cesserit, seu ipsius beneficij unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, cum esset sanus, signata, & postea infra viginti dies, à die per ipsum resignatum praestandi consensu computandos, de ipsa infirmitate cesserit, ac ipsum beneficium, quauis auctoritate conferatur, per resignationem factam, collatio huiusmodi nulla sit, ipsaque beneficium nihilominus per obitum concessus vacare. Haec tenus Regula: Porro regulam huiusmodi ita publicatam de infirmis sua beneficia resignantibus primum edidisse fertur Bonifacius VIII. Vt Gomezius refert. hanc autem Regulam explicuere Gomezius, Mandosius, & Rebuffus in tertio parte Praxis beneficiorum, titulo de Resignatione ratione persona, & rei vitiosa: Flaminius Partius de Resignat. Tomo II. lib. II.

Primo quaeritur, Quem ad finem haec regula firmiter instituta, & an à iure communi dissentiat, ita vt tanquam à iure recedens sit strictius intelligenda & explicanda. Gomezius quaestio. I. docet, cum iure communi congruere, in capitul. secundo, de Renunciatione in sexto, ubi qui morbo beneficia resignant, id in fraudem aliquam agere creduntur. Nam fraudantur Ordinarij locorum, fraudantur expectantes, & Mandatarij, & Nominati, his enim omnibus via pracluditur ad beneficia, quae alioqui essent per obitum vacatura. Communi iure iuri est constantium, ne successio quasi iure hereditario in beneficijs admittatur, capit. Apostolica. & cap. Si ergo cetera. Quaestio. I. cap. Ad hac, cap. de Decimis, cap. ad decem. de i. sicut, cap. i. Capit. Ratio de praebend. Aegrotus autem putans se moriturum, ne beneficia vacent per obitum, ea dimittit. Ceterum contendit Mandosius quod praeter ius commune esse huiusmodi Regulam: nam iura omnia permittunt infirmis etiam morti vicinis actus legitimos, restari etiam possunt aegroti, lege Sentium. C. Qui testam. eni. facere possunt, & lege. 2. de Testam. Item transigere possunt. l. Sanum mentis. C. de transact. & matrimonium contrahere. l. Ban. Andr. c. sine culpa de Regal. lura in sexto, cap. 2. de coniugio lapso. Possunt etiam, vt testes examinari. Decius consil. 71. num. 70.

num. 70. ubi ait: Papam in articulo mortis posse diploma concedere, facultates concedere, alienare, contrahere, & omnes alios actus legitimos efficere. ex quo fit, ait idem Mandosius, ut hæc Regula, tanquam præter commune ius edita, sit strictius intelligenda. Nec convenit, inquit, cum eo quod in c. secundo, de renunciatione dicitur. Nam ibi dicitur: *Ne renunciatio fraudulenta expectanti nocet: Et exemplum adducitur fraudulenta renunciationis, de eo qui præbendam, vel dignitatem pinguiorem habebat: Et graviter infirmus renunciat. Vbi tria concurrerunt: renunciationis tempus, beneficium opulentum, Et gravis infirmitas. At hæc Regula comprehendit omne beneficium, quod quicumque, in quacumque infirmitate dimittit. Hæc Mandosius. At mihi probabilius videtur, quod docuit Gomezius, & idem tradidit Rebuffus in eadem Regula Glossa, 4. n. 9. & Flaminus de resig. li. 12. quest. 2. nu. 9.*

Secundo quaeritur, An hæc Regula teneatur ipsi quoque Cardinales, si ægroti, quæ obtinent beneficia, resignaverint. Gomezius, *questione tertia, Rebuffus in ead. m. Regula Glossa prima. nu. 4. & Flaminus li. cit. questione 4. numer. sexto, affirmant. Mandosius vero quest. 2. nu. 8. negat. Sed prior opinio mihi probabilior videtur, quam sequutos esse Auditores Rotæ, testatur Flaminus loc. cit. Vnde maiori ratione episcopi quoque, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ, Abbates, & Priores hæc Regula continentur: nam in ea generatim est dictum: *Si quis in infirmitate constitutus. Put. decif. 33. lib. 3. teste Flaminio, loco citato, nu. 14.**

Si quaeras, An hæc Regula comprehendat exemptos? Comprehendit, Gomezius, *quest. quinta. Flaminus quest. cit. n. decimo septimo, quoniam Regula generatim loquitur, & proinde locum habet in familiaribus Cardinalium. Gomez. quest. quarta, & in officialibus, & familiaribus. Papæ, Flamin. quest. cit. n. 21.*

Tercio quaeritur, Quomodo intelligantur illa verba Regulae proxime posita in infirmitate constitutus? Respondeo in primis: si quis recte valens suum beneficiū dimittat, quamvis postea intra viginti dies morbo aliquo decesserit, hæc Regula non continetur. Sic olim fuit iudicatum in Rota. teste Sarnen. *quest. 12. Sic etiam in cap. de his, de sepulchris. statutum est, ut si quis in infirmitate, Monasterio donet Canonicam portionem debitam Parochiali ecclesie, non valeat donatio. Secus vero si bene valens donaverit. At nunc Regula locum habet, quotiescumque quis moritur post datum consensum resignationi infra viginti dies, siue ab initio valeret, siue infirmus esset. Sic enim vltus habet, ut testatur Flaminus de resig. lib. 12. q. 6. n. 7.*

Sed quid, si Titius extra infirmitatem resignet, & post resignationem à Rom. Pontifice obligatam in morbum lapsus consensum præstet, & intra viginti dies discedat è vivis? Dicendum est, nisi vixerit per viginti dies computatos à die quo consensum huiusmodi præstitit, beneficiū per obitum vacare: quia equiparantur hæc duo, resignare, & præstare in resignationem consensum. Ergo idem iuris est de eo, qui post ægritudinem in resignationem consentit, quod de eo, qui in infirmitate beneficium resignat.

Dubitet aliquis, An infirmitatis nomine intelligatur generatim qualiscunque, etiā levis infirmitas? Respondet Sarnensis. *qua. 28. etiam si levis fuerit febricula, vel quartana etiam febris, vel podagra, infirmitatis hic venire vocabantur: satis enim est, si ex infirmitate intra viginti dies moriatur ægrotans, Sic etiam Rebuffus in eadem Regula Glo. 2. n. 5. Et 6. Nec impedit, si se remittat morbus, vel intendat, & ingrauescat: sufficit enim si intra viginti dies infirmus decesserit, siue ex morbo intenso, siue ex remisso. Imo quando cumque quis moritur post consensum præstitum intra viginti dies, beneficium per obitum vacat, & non per resignationem: quamvis initio recte valeret, vel è contracto; & ideo in Regula addita sunt ea verba: *etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signata, & postea intra viginti dies, & quæ sequuntur.**

Sed quid, cum quis moritur ex vulnere intra viginti dies? An in eo etiam Regula locum habebit? Respondeo, habet. e. Rebuffus *Glossa secunda, n. decimo sexto, Et decimo septimo. Flaminus de resig. li. decimo, questione sexta, numero vigesimo secundo, siue ex vulnere, siue ex infirmitate decessat. Nunquid in eo etiam, qui in aliquo vitæ discrimine beneficium resignat, si intra viginti dierum spatium ex eo periculo, nulla ex infirmitate decesserit? Gomezius questione octava, numero tertio, & Rebuffus *Glossa secunda, num. decimo quarto negant, quia aliud est esse in periculo mortis, aliud vero in infirmitate. Multis enim modis mortis periculum solet contingere: nempe ex naufragio, ex hostium insidijs, & similibus plerique. At receptum est vltus, cum quis post datum consensum infra viginti dies excedit, beneficium eius per obitum, non per resignationem vacare & hoc esse vltus receptum testatur Flaminus de resig. libro duodecimo, questione sexta, numero vigesimo quinto. An huiusmodi regula quaerit quisquam, etiam in lenibus. locum habet? Gomezius *quest. septimo, numero septimo, & octavo, negat: præterquam in lenibus decrepitis: quoniam licet senes pro infirmis habeantur. leg. Crutibus. ff. de legatis 1. Et ca. Magna. de voto & voti redemptio. est tamen sententia recepta, ne senes inter infirmos proprie numerentur, sed inter debiles. Felinus in capit. Quoniam frequenter, ut lite non contestat. Mandosius q. 4. & Rebuffus *Glossa 2. num. 13. negant locum habere in senes etiam decrepitate ætate, quia etiam decrepitis non censetur proprie infirmus. Sed vltus tamen habet, ut generatim, si quis etiam iuuenis post datum consensum, infra viginti dies obierit, Regulae præscripto comprehendatur, ob verba illa ad Regulam adiecta, quæ paulo ante iam retuli superiori questione. Flaminus loco prædicto, numer. 27. & idem plane iuris est, de eo qui coniectus est in carcerem, beneficio priuandus ob crimen, si beneficium resignavit, & postquam in resignationem consensit, infra viginti dies è vivis excessit. Rebuffus in Regula *Glossa 12. n. 20. Flaminus loc. cit. n. 29. Si autem non resignavit, sed priuatus est beneficio, & post priuationem beneficium est in alterum collatum, locum non habet Regula: Rebuff. *Glo. 12. n. 17. Et Flam. loc. cit.******

Quarto quaeritur, An hæc Regula teneat etiam eos, qui in infirmitate beneficia dimittunt extra Curiam Romanam coram Ordinarijs locorum, vel Pontificijs Legatis? Decius *conf. 124. n. 4. negat: cuius sententiam sequitur Mandosius quest. 16. eam ob causam, quod Regulae Cancellariæ extra Romanam Curiam locum non habent, ut ait Ancharanus conf. 297. Gomezius vero quest. 26. post Casfadorum decif. 33. affirmat, in Auditorio Rotæ bis fuisse iudicatum, hanc Regulam locum habere etiam in huiusmodi resignationibus beneficiorum, quæ opinio verior est, quia in Regula generatim est dictum: *(Si quis in infirmitate constitutus.)* & fraudes etiam coram Ordinarijs locorum, & Legatis inveniuntur. Vnde quamvis non omnes Regulae Cancellariæ alioqui extra Curiam Romanam vim, & locum habereant, habet tamen hæc, quia est instituta ad aditum fraudibus, præcludendum. Præsertim cum Sarnen. *late in q. 2. in proam. Reg. probet, Regulas Cancellariæ extra Curiam Romanam obligate.**

Dubitabit aliquis, An hæc Regula teneat etiam eos, qui causa permutationis beneficia dimittunt? Respondeo, tenere, quia expresse in Regula dicitur: siue simpliciter, ex causa permutationis, siue alias dimiserit. Et hoc locum habet in eorum permutatione beneficiorum, siue parium, & æqualium, siue inæqualium. Rebuff. in regula. *Glo. 4. nu. 5. Mandos. in Regula questione. 13. Quiddid dicat Sarn. questione 19.*

Idem est iudicandum de eo, qui suum beneficium dimittit referuat sibi omnibus fructibus, aut certe dimidia fructuum parte: hæc enim referuatio siue integra, siue non, impedit, quo minus sit beneficij resignatio. Sarnen. in reg. q. 20. Reb. in reg. *Glo. 3. Mandosius q. 14. Quætas insuper, An qui per procuratorem beneficiū dimittit in infirmitate*

firmitate constitutus, hac Regula comprehendatur: Respondeo, cum *Rebuffo Glossa 10. n. 2.* cum comprehenditur, siue per se, siue per procuratorem assensum adhibeat. Nam et si Regula loquatur de infirmo resignante, non autem de constituyente procuratorem ad resignandum: intelligitur tamen de infirmo siue per se, siue per procuratorem praesertim in resignatione consentum. Quare qui dum valet, vel ægrotat, procuratorem elegerit ad beneficium dimittendum, & postea infra viginti dies obierit, hac Regula tenetur, ita ut beneficium per obitum, non per resignationem vacare dicatur. Et idem est de procuratore resignante, quum deinde is qui eum elegerat, intra viginti dies decessit. *Flamin. de resig. li. 12. n. 36.*

Sexto quaeritur, An hac Regula locum in beneficijs habeat iure patronatus affectis: verbi gratia Clericus praesentatus, & institutus resignavit beneficium cum infirmus esset, & postea infra viginti dies decessit, quaeritur, an vacet beneficium per obitum, an per resignationem? *Decius consil. 224.* negat propter illa verba Regulae: (*Et ipsius beneficium quantum auctoritate conferetur,*) & post haec: (*Collatio nulla sit.*) Atqui beneficia iuri patronatus addita, non proprie conferuntur, cum non simpliciter doneatur quibusvis, sed iis tantum Clericis, quos patroni nominant, eligunt, & offerunt: hanc sententiam sequi videtur *Sarnen. in reg. 9. 17. n. 8.* Ceterum communis est opinio, ea etiam beneficia hac Regula contineri; nam quamvis Conferendi verbum in materia de beneficijs sapienter distinguatur à verbo, Instituenti, Eligendi, Praesentandi: at aliquando tamen generatim accipitur, ita ut beneficium conferri dicatur, cum quis à patrono nominatus, & electus instituitur. [*Glossa in Clementina prima verb. Conferatur, de rerum permutat. quam sequuntur Paulus, Cardinalis, Vitalinus, & Imola ibidem.*] Hinc est, ut qui beneficium iuris patronatus dimittit, & intra viginti dies vita excedit, vacet per obitum, non per resignationem, tamen si fuerit collatum alicui, qui fuerit à patrono nominatus, electus & oblatas. Verum tamen, cum per obitum beneficium vacet, pertinet iterum ad patronum Clericum nominatum, eligere & offerre, etiam si Papa sit instituerit Clericum. Quo fit, ut Ordinarius loci, vel Romanus Pontifex illud beneficium simpliciter conferre non possit, nisi nominato & oblato à patrono. Locum itidem habet in beneficijs patrimonialibus. *Cassador. de resig. 8. de prob. Sarnen. in regul. 9. 21. Mandosius q. 15.* quidquid dixerit Felinus in cap. *Postulasti. num. 1. de resig.* Insuper locum habet in beneficijs commendatis, si quis infirmus ea resignauerit. *Sarnen. in regul. 9. 21. Rebuffus in regula. Glossa 7.* Dubium item est, An hac etiam Regula locum habeat in beneficijs referuatis, si resignans, & in ijs, quae electiva dicuntur: Respondeo, cum *Rebuffo Glossa 14. n. 6.* locum habere ob verba illa generalia, quae sunt in Regula: (*Si quis beneficium resignauerit.*) dubitatur deinde, An etiam Regula includat beneficia vniuersalia? *Gomezus quaest. 15.* negat includi, propterea quod beneficium vniuersale, non est amplius beneficium, ergo qui dimittit illud, minus beneficium dimittere dicitur. Oppositum tamen ex Regulae verbis concluditur, cum ait: *Seu ipsius beneficii vniuersalis a solutione concesserit.* Quae verba locum etiam habent, quando vnum beneficium alteri coniungitur ad vitam alicuius: ut habere plura beneficia, quae alioqui possidere iure nequiret.

Eadem ratio est etiam de eo, qui beneficium dimittit, ut alicui Collegio, Seminario, locoue communis utilitatis causa extractio annectatur. Si enim postea intra viginti dies decesserit, beneficium per obitum vacat. *Mandosius in Regula. quaest. 10. n. 2.* Si quaeras, An hac regula locum habeat in beneficijs Consistorialibus? Respondeo, distinguendo si ea extra Consistorium confert Papa, locum habet regula: Si vero non nisi in Consistorio de ijs beneficijs Papa deponit, tunc locum regula non habet. *Flaminus loc. cit. n. 42. & Sarnensis in regula, quaest. 14. nu. 2.* Si roges, An Regula praedicta locus sit in his, qui in infirmitate pensiones ad alios transferunt, aut in ijs, qui publica Roma-

nae Curiae officia Pontificis auctoritate aliorum gratia dimittunt? Respondeo, cum *Gomezus quaest. decima, sexta, & Mandosius quaest. vndecima,* minime: quia pensio beneficium non est, nec vacat, sed exinguitur: nec resignatur, sed transfertur. Et officia Curiae Romanae secularia beneficia non sunt, nam vendi possunt, & solent: & in eis successio quasi haereditaria conceditur. *Sarnen. in Regula. quaest. 22.* Bene est tamen locus Regulae in eo, qui iure ad beneficium aliquod quaesito cedit, verbi gratia per supplicationem, ut dicitur, signatam. *Vi Gomezus notat q. 18. n. 2.* nam etsi nondum plenum in beneficio ius nactus est, sufficit tamen si ius ad illud habet, hoc enim ipso commodum acquiritur resignatio.

Septimo quaeritur, A quo die computandi sunt viginti illi dies à Regula praescripti: Non est dubium, computandos esse à die, quo resignans praestitit consentum, hoc enim in Regula ipsa exprimitur: Sed quod in dubio ponitur, est, An dies quo beneficium resignans dat consentum, includi debeat in ipso viginti dierum numero: An potius eo excluso, viginti dies à die sequenti computentur? *Glo. huius Regulae* affirmat includi, cui *Mandosius* assentitur *quaest. decima octava, n. 3.*

At *Gomezus quaest. 38. nu. 2. à quo Reb. minime dissentit Glossa 10. n. 9.* negat contineri: quia dies termini non computatur in termino. *Eum qui. §. plane, de Verbo. oblig. Vbi cum quis Calendis Ianuarijs promissit alicui se solutum ad certum aliquem diem, ea dies obligationis, in quam incidunt Calendae Ianuarie, inclusa minime censetur. Glo. in l. vi. §. 1. C. de iure deliberandi, ab omnib. recepta Flaminus de resig. in libro citato quaest. 8. nu. 14.* testatur proter sententiam bis in Rota Auditores sua auctoritate firmasse: quia dies termini computatur in termino, quando eius interit, cui terminus praefigitur. Sed vtilis est resignanti, cui tempus viginti dierum praescribitur, vnde quo praestat consentum, in termino computetur, ut citius finiatur.

Roget quispiam, An dies quo resignans moritur, inceptus pro completo habeatur: Ratio dubitandi est, quia in his quae sunt fauoris & gratiae, dies inchoatus censetur completus. *Glossa in l. 3. §. Minorem, verbo, Momentum ff. de Minorib. vti in testamento, libertate, vti in capione: Respondeo, diem alterum, quo resignans beneficium decessit, inchoatum tantum, pro completo non haberi, & ita iudicatum esse in Rota ab Auditoribus. referit Flaminus *quaest. citat. nu. 13.* Sed quomodo dies illi accipiendi sunt, An vti naturales sunt viginti quatuor horarum, An vero vti civiles duodecim horarum tantummodo? Nam statuta quibus certus dierum numerus praefigitur, solent dies accipi per posteriore modo: *Gomezus in regula. quaestione trigesima octava, testatur vti esse receptum, vti dies in hac Regula, priori modo finiatur, nec dissentit Rebuffus Glossa nona. Ioan. Sel. in Tract. de beneficijs parte tertio quaest. 46.* Quid si aliquis bis beneficium resignat, & in ipsa vtraque resignatione praestitit consentum, Vnde tunc incipit dies computari? A priori dato consentum: nam eo ipso, quo primo apud superiorem legitime dimisit, variare amplius non poterit, ac proinde nihil iuris per secundam resignationem transtulit. *Presentia, de renunciat. Cler. l. eo. n. 1.**

Octavo quaeritur, Cum in hac regula dicitur: *Si infra viginti dies resignans beneficium moritur: vacat per obitum, non per resignationem.* An vacatio haec per mortem, & per hanc regulam inducta, sit vera vacatio per obitum, An vero sola iuris fictione? *Gomezus qu. 30.* censet, esse tantum iuris fictionem vacationem, & ideo in ea locum non habere, alias Regulas, Constitutiones, & Concessionibus simpliciter loquentes de vacatione per obitum, propterea quod Regula dicit simpliciter: (*Beneficium vacat per obitum.*) sed (*per obitum nihilominus vacare censetur, ac verbi obitum*) iuris fictionem potius quam veritatem continet: *l. 1. C. de Is qui, de Procuratoribus, in 6. & c. 1. de Arbitris:* ex quo deducitur regulam de impetrantibus beneficia vacantia per obitum familiarium alicuius Cardinalis locum non habere

in vacatione per obitum per hanc Regulam inducta. Sed Flaminius *lib. sup. memorato, q. 9. n. 7.* docet, oppositam sententiam magis cum vlt. conuenire: nam eo ipso quo Papa, si infirmus decederet intra viginti dies, & beneficium sit alteri concessum, facit irritam impetrationem, & excludit resignationem ipsam tanquam fraudulentam: & ideo ius beneficij penes resignantem remanet, ergo per eius obitum vacat. Hinc fit vt Regula & Constitutiones simpliciter de beneficijs per obitum vacantibus quidpiam decernentes, locum habeant in vacationibus beneficiorum per hanc Regulam institutis: verbi gratia, habentes regressum ad beneficium vacans per obitum siue decessum, si resignans intra viginti dies obiit, id beneficium resignatum debeat vi & ratione regressus. Item si beneficium resignatum, vitium fuit, cum primo vacauerit per obitum, si resignans intra viginti dies decesserit, excluso resignario, debetur Collegio, vel Seminario, cui fuerat beneficium annexum. Si quis item Romani Pontificis auctoritate, beneficium expectet per obitum vacaturum, ius acquirit ad beneficium, quod aliquis resignat, si intra dies viginti excedit à vita.

Nono quaeritur, An beneficium quod per obitum vacare decernit hanc regula, quando resignans moritur intra viginti dies, ita sit Papae reueruatum, vt ab eo solo possit conferri? Respondeo, distinguendo: aut qui resignat alicuius gratia & fauore, id in Romana Curia facit coram Romano Pontifice; aut extra Curiam apud Ordinarios locorum, vel Legatos Romani Pontificis, beneficium simpliciter resignat. Primo modo, beneficium est Romano Pontifici reueruatum, vt recte probat Flaminius *de resignationibus lib. 12. q. 9. nu. 4.* quia eo ipso quod moritur resignans in Curia Romana, beneficium in Curia vacat. Sed cap. 2. *de Prob. in 6.* beneficia in Curia vacantia, sunt Romano Pontifici reueruata. Secundo modo, quidam fecerunt, tunc etiam beneficium esse Papae reueruatum. Sed verius est oppositum, quod & Gomezius *q. 33. n. 2. & 3.* Rebuff. *regula, Glos. 14. n. 5.* Flaminius *q. 9. n. 12. in lib. 12. de resignationibus*, tradiderunt: non enim hanc Regula statuit huiusmodi beneficia Rom. Pont. reueruati. Vnde fit, vt locorum Ordinarij licite ea beneficia conferant.

Hinc etiam est, vt hanc beneficia nominatis debeantur, teste Rebuffo *in Glos. 14. nu. 5.* ac etiam expectantibus auctoritate: Gomez. *q. 33. n. 3.* Item dubitatur, An Ordinarij si ea beneficia contulerint per resignationem, possint quoque simpliciter conferre tanquam per obitum vacantia? Respondeo, cum Rebuffo *Glos. 12. nu. 15.* potest quia licet regula resignationem irritam efficiat: non tamen admittit ius & potestatem ea simpliciter conferendi. Sed quid, si duo impetrent beneficium in Curia resignatum, & eorum vnus impetret illud tanquam per resignationem irritam vacans, alter tanquam vacans per obitum, eo quod resignans intra viginti dies obiit: vt etiam alteri est praefertendus? Gomezius *qu. 35. nu. 2.* ait esse receptum, vt qui impetrat beneficium, tanquam per obitum vacans, alteri praefertatur. Non sufficit autem, si simpliciter impetret per obitum, sed necesse est vt exprimat certum vacationis modum per hanc Regulam inductam, vt Gomezius *praedicta questione n. 4. docet.*

Decimo quaeritur, An huic Regulae soleat in eandem derogari? Respondeo, cum Rebuffo *in concordia Rubri. de Collat. §. volumus, versic. permutacionem, & Mandoso in praes. signat. grat. tit. derogacionis regularium, versic. regula praedicta.* In resignationibus quae sunt causa permutacionis, plerumq; Romanos Pontifices derogare consueuissent: in alijs vero resignationibus, testatur Gomezius *in regula qu. 39.* tempore Leonis X. fuisse saepe numero derogatum, Pauli vero III. tempore non nisi raro, & perentium precibus importunis. Teste item Mandoso *loco citato, extra Italiam* soleat Pontifex frequenter derogare gratia absentium qui resignant: in Italia vero non item, nisi quando resignans à Curia distat: Si enim Romae, vel prope Urbem quis resignauerit, Regulae minime derogatur. Sed ambi-

gitur, vtum derogatio debeat esse expressa & specialis? Ait Gomezius, huic Regulae nunquam per clausulas generales derogari, nisi nominatum & expresse dicatur. Dubitatur etiam, An Romani Pontificis Legatus à Latere, possit huic Regulae derogare? Minime, nisi ad id expressam à Romano Pontifice acceperit facultatem, nam inferior potestas nequit superioris potestatis decreta ex toto, vel ex parte reuocare, c. *Cum inferior. de Maioritate, & Obedientia.* Ita Gomezius *qu. 41.* Dubium quoque est, An Legatus accepta facultate derogandi Cancellariae Regulis eorum & edendis, huic possit Regulae derogare? Gomez. *praedicta questione* negat, & refert ita esse bis in Rota iudicatum? Ratio huius est, quia clausula generalis non trahitur ad non verisimilia, cap. *vt. de Officio Vicarij in 6.* ac verisimile non est, Papam per huiusmodi verba generalia voluisse huic regulae derogare.

Item principij beneficium semper intelligitur concessum absque alicuius alterius damno, capitulo. *Super eo. de Offic. Delegati, & capit. Causam qua de rescrip.* Mandosius tamen *in regula qu. 10. n. 7.* & Flaminius *de resignationibus, libro 12. qu. 13. num. 12.* sentiunt oppositum: Nam *gen. 6.* inquit, *in vniuersum prohibito, qualibet species prohibita continetur.*

Deinde qui totum dicit, nihil excludit: praesertim cum in huiusmodi facultatibus, & privilegijs soleat amplissime clausula apponi hunc in modum: *Quorum omnium & aliarum tenores, etiamsi de eis expressa mentio, & reliqua, ac si verbo ad verbum, &c.* Quae clausula, ait Cassiodorus *de script. 10. nu. 2. & de script. 28. & 38.* Decimus *conf. 340. n. 1.* tantam vim habet, quantum haberet clausula, in qua omnia exprimerentur.

CAP. XXIX.

De Permutationibus beneficiorum.

DE hac re Doctores *in tit. de ver. permut.* Summistae vero *in verbo permutatio.*

Hac de re tractatum edidit Petrus Vbaldus Perusinus, & alium eo antiquior Federicus Senensis, quem Lapsus annotationibus illustrauit: alium item Egidius Bellamera, & alium Petrus Andreas Garbarus.

Primo quaeritur, Quidnam sit beneficij permutatio? Respondeo: Permutatio generatim accepta, est certe rei ad alteram facta mutua prestatio. *l. ff. de rerum permutat.* Vnde beneficij permutatio est, qua duo vicissim sua beneficia dimittunt, vt vnus beneficium alterius obtineat. Ex quo perspicitur, permutationem beneficij cum resignatione, gratia & fauore alterius facta plurimum conuenire: nisi quod permutatio, est mutua & reciproca duorum beneficiorum resignatio, vt beneficium vnus alteri concedatur: Sic nempe, Titius suum beneficium cum Caij beneficio permutat: tunc Titius suum beneficium dimittit, vt Caius conferatur, & Caius suum vt Titio derat. Vnde in Permutatione continetur resignatio beneficij, non simpliciter, sed causa permutationis factae.

Secundo quaeritur, Cur sit iure Canonico interdictum, quo minus quis priuata auctoritate suum beneficium cum alio beneficio commutat? Multis de causis. Primo, vt Clericis, omnis auaritia, & ambitionis occasio praecidatur. Secundo, ne de beneficijs Clerici, tanquam de rebus suis profanis statuere videantur. Tertio, ne existiment se in beneficijs idem ius & dominium habere, quod in patrimonio. Quarto, quia si qui permutat, eo ipso suum dimittit beneficium, & acquirit permutando alterius beneficium: aut iure Canonico, nemo, nisi auctoritate Superioris potest se beneficio abdicare, aut beneficium obtinere.

Tertio quaeritur, An iure diuino, an tantum Canonico Clericus suum beneficium cum alio priuata aucto-